



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. An & quando sit præceptum de dando mutuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

conventio, res debeat reddi in pari bonitate, & mensura, abutendo à pretio; ego enim, quando tibi mutuum do modum frumenti, modum frumenti semper à te mihi reddendum expecto, quidquid sit de pretio. Non sic, si mutuo pecuniam, quia tunc secundum ejus pretium, ejusque valorem praesentem, qui est de essentia pecuniae mutui, non verò secundum massam ipsam materialem.

Sotus in 4. *quæst. 2. dist. 15.* cui adde Petrum à Navarr. lib. 3. c. 2. n. 252. Palud. in 3. *quæst. 2. cap. 4.* docet, in hoc casu, quando nullum praecessit pactum, posse haberi rationem valoris, qui est tempore, quo celebratur mutuum, & hanc exigi posse. Verum, contrarius est usus, & virtuale pactum, ut dictum est.

8. Obiicies: Si hæc essent vera, mutuans, quando non fuit terminus praefixus ad restituendum mutuum, siue explicite, siue tacite, ut supra dictum est, posset licite repetere frumentum, vinum, oleum, &c. eo tempore, quo videt ea pluris valere, quod videtur durum?

Respondeo: At non durum videtur eidem Soto, lib. 6. q. 1. art. 2. & Molinae, d. 3. n. 2. Nam sibi debet mutuatarius imputare, quod prius non solverit, quando forte minus valebit; Et sicut, si mutuatarius solvisset, quando minus valebat, non poterat mutuans illud non acceptare, ita, si mutuans nunc, aucto frumenti valore, exigit, non poterit mutuatarius denegare solutionem, posito, quod verè nunc debeat, ut supponimus, cum supponamus tempus aliquod, quod imbitum est in contractu mutui, esse transactum.

9. Diximus, si nullum praecessit pactum, nam si hoc praecessit est diligenter expendendum, an illud sit iustum, & servandum. Quatuor enim iniri modis id potest. Primo, ut, siue crescat pretium frumenti, v. g. siue decrescat, totidem mensurae reddantur. Secundò, ut, si frumenti valor decrescat reddatur tantum, quantum æquivaleret valori frumenti, qui currit tempore, quo datur mutuum. Tertiò, ut si frumenti valor crescat, reddatur tantum, quantum æquivaleret ejusmodi valori aucto. Quartiò, ut reddatur absolute tantum, quantum æquivaleret valori frumenti, qui currit tempore, quo reddetur mutuum.

10. Dico iam primis duobus modis, iustum esse pactum, etiam si illud in eas quia praevideat minus, vel magis valiturum frumentum. Ratio est, quia Dominus habet ius, tum ad illas suas mensuras absolute, tum ad easdem iuxta pretium praesens sui frumenti; ergo, vel secundum mensuras, vel secundum pretium poterit pacisci. Ita Sanctiarel. in *manuscr. de contract. Mutui*, c. 6. dub. 4. quod apud me habeo.

At in tertio modo ex praedictis: Dico, nisi ad sit aliud titulus damni emergentis, vel lucri cessantis, esse pactum iniustum. Ratio est, quia tu non mutuas, nec mutuari iuste potes, secundum valorem futurum non existentem nunc, ad illum enim nullum ius habes.

Denique in quarto modo idem dico, quando idem ejusmodi pactum absolute fiat, quia praevideatur pretium fore augendum; nam secus esset, si par sit periculum, quod crescat, vel decrescat; tunc enim non erit usura, sed ludus sortis, & erit similis primo modo iam allato.

11. Ex dictis colligi potest, an iuste paciscaris, ut, redante rem veterem, v. g. frumentum, vel vinum verus, obliges mutuatarium, ut reddat novum. Distinguendum enim est, ac dicendum, si hæc obligatio afferat aliquod gravamen supra mutuum acceptum, iniustum fore pactum, si non afferat, fore iustum. Quoniam igitur plurius valet vinum, v. g. vetus, quam novum, cum, contra, plurius valeat frumentum novum, quam vetus, ideo de vino poteris (sed certe noles) dictum pactum celebrare, non verò de frumento; Pari igitur modo discurre de similibus.

12. Quod si libenter à mutuatario redderetur novum frumentum pro veteri mutuo, quia ipsi id sit facilius, & nullum ipsi detrimentum afferens, libenter enim novum æstate reddere iuvat ex sua messe, illud quod habuit

hyeme à mutuante, non erit illicitum, si praecedat pactum de reddendo frumento novo, quia tunc nullum gravamen, ut supponimus, sit mutuatario. Legi. *lib. 3. c. 12. n. 12.* loquentem de re simili id est, de mutuo liberè, & sine proprio detrimento pecuniam mutuanti aeream, nec omittas lib. 8. *Decret. 3. cap. 1. num. 11.*

13. Denique nota, hanc negotiationem circa mutuum & novam rem posse in alia figura sine ullius detrimento celebrari, si nimirum vendas nunc vinum, & pretio currenti, & anticipato pretio item iusto novum, quod novum erit tempore vindemiarum perituri currenti, quod certè minus, communiter erit, ut supra dixi dicendis *infra*, praesertim c. 4. §. 4.

§. III. An, & quando sit praecipuum de dando Mutuo?

1. Aio primò, aliquo tandem modo adesse praecipuum de dando Mutuo. Ratio praecipua est, quia est praecipuum de faciendi elemosyna extreme indigentibus; ergo, & praecipuum de dando mutuo. Antecedens certum, secundum Castropal. *tom. 1. tract. 8. de Char. d. p. 2. num. 2.* saltem ex ea ratione universalis, quod praecipuum est amandus re, & veritate, id, quod non timet, qui ei in tanta necessitate non succurrit. Consequens probatur, quia ideo danda est proximo elemosyna, ut obligamur ex charitate succurrere indigentibus in extrema necessitate; ergo, si proximo nostro mutuo indigenti ad suam necessitatem sublevandam, illud dare debemus.

2. Dices: Hac doctrina posita, vel tollitur praecipuum de dando elemosyna, vel tollitur praecipuum de dando mutuo; ergo, &c. Antecedens probatur, quia si tollatur obligatio currenti, & anticipato pretio, nunc indigens dives vult dare elemosynam ad ejusmodi solutionem, sed mutuum; ergo iam tollitur de medio praecipuum de dando elemosyna. Contrà, si aliquis non vult dare mutuum, sed semper absolute, & gratis dare, cum sic melius sublevetur indigens, iam tollitur praecipuum de dando mutuo. Adde, enasci posse incommensurabilem non tolerandum, nam dives avarus semper daret extreme non indigenti: *Frater, dabo tibi mutuum, ut pacto iam sublevo tuam indigentiam extremam, quia dabo Pauper acquiescere obligabitur, acceptando mutuum pro tempore, quo perveniet ad pinguiorem fortunam, si sic non poterit absolute accipere, quidpiam oculis etiam in extrema necessitate, sed semper sub mutuo mutui.*

3. Respondeo: Nonnulli totum hunc discursum improbant, dicunt enim, tibi solum esse praecipuum de sublevanda inopis necessitate, quocumque modo subleves, siue donando, siue mutuo; sed non facit eiunt. Dico ergo, non tolli praecipuum de dando elemosyna, quia, quando pauper est indigens extreme non vult proxima aliquid habendi, tu non potes eligere mutuum, sed obligaris absolute donare: & pauper, ut accipere, etiam occultè, potest absolute, etiam te nolo, potest in extrema necessitate omnia sunt communia, ut dicitur *Decret. 2. c. 6. §. 1.* diximus. Nec tollitur praecipuum de mutuo, nam in casu, quo pauper extreme indigens proximam habet aliquid possidendi (propter quod non non erit propriè, & verè in extrema necessitate). Tu certe potes non dare mutuum, sed potes eligere donare elemosynam. Verum, si tunc id velis, committis tibi in mutuo praecipuum mutuari, non verò omnino tollis praecipuum enim est donare, quam mutuari, quæ profectò committitur ratio inconveniens nullum afferat, nam propterea, quia xi esse praecipuum aliquo tandem modo mutuari, sed saltem æquivalentem per metum inclusum in ipsa donatione. At id, quod additur, iam patet ex dictis.

4. Aio secundò, Principes posse per vim temporis divites cogere ad mutuum, verbi gratia ad mutuum hyeme frumentum populo, reddituro æstate. Ratio est, quia

quia divites possunt, ut habet Glossa. *Sicut, v. Esurien-*
tium, dist. 47. & Covar. lib. 3, variar. cap. 1, num. 6. cogi
 tempore necessitatis ad dandam indigentibus elemoly-
 nam, ergo multo magis cogi possunt ad mutuum submi-
 nistrandum.

Adde, posse quempiam in aliquibus casibus cogi ad
 vendendum, vel locandum ob commune bonum, ut ex
 omnium sententia docet Covar. *ibid. c. 6. & 7. Afflictus*
in Proem. Constitut. quast. 3, num. 10. aliique. Ergo multo
 magis ad mutuandum.

CAPUT II.

De Usura, quoad ejus naturam.

§. I. Quid sit, & quomplex Usura?

1. Connexa maxime est usura cum mutuo: ea enim
 tota fundatur in mutuo, & sic definitur: *Est lu-*
crum, quod ex mutuo vi mutui. Nota autem illud,
 teste Innoc. Abb. aliisque in Rubr. de usuris, num. 3. (vi
 mutui) in quo consistit essentia usurae, ut modò notavi-
 mus c. 1. §. 1. n. 5.

2. Alia autem est mentalis, quae, sola intentione ha-
 bendi lucrum ex vi mutui, committitur. Alia realis, quae
 te ipsa committitur, id est, acceptato, re ipsa lucro.

3. Alia expressa, quae scilicet expressum pactum ha-
 bendi lucrum fit: Alia tacita, quae, per tacitum.

4. Alia palliata, cum scilicet committitur sub pal-
 lio alterius contractus v. g. venditionis, locationis, di-
 lationis, quam creditor concedit suo debitori, &c. Alia
 elata, cum scilicet sine ullo involucro manifestè lucrum
 quis petit ex vi mutui. Palliatam vocamus communi-
 ter usuram virtualem, elatam verò appellamus usuram
 formalem.

5. Nonnulli addunt aliam divisionem, in usuram lu-
 cratoriam, quae est jam dicta, in qua scilicet lucrum in-
 tenditur, vel exigitur; in punitoriam, per quam scilicet
 datus mutuus obligat mutuatarium, ut, si non red-
 dat mutuum tempore praefixo, incidat in poenam sol-
 vendi aliquid mutuant; in restauratoriam, seu com-
 pensatoriam, per quam mutuant aliquid exigit, ut res-
 taurat, seu sibi compenset lucrum, quod ipsi cessavit,
 vel dampnum, quod ipsi emerit ratione dati mutui. Cum
 autem nos, (ut etiam faciunt Doctores passim) de usura
 loquimur, loquimur de lucratoria; nam punitoria,
 & restauratoria verè usurae non sunt, ut ex dicendis
 patebit.

§. II. An, & quo iure Usura prohibita sit?

1. *Us Civile*, quod concedit (sive ut alii melius sen-
 tiunt,) quod permittit simplicem usuram, de qua
 re lege Doctores, Bartol. lib. 1. c. de summa Trinitate,
 Covar. lib. 3, variar. cap. 1, num. 6. Lessium lib. 20, dub. 4,
 num. 3, aliisque, correctum est à lege Canonica in toto
 titulo de usuris, & in Clementina prima, eodem, & alibi
 juxta multa sacrae Scripturae loca, praesertim illud Lu-
 cae 6. *Mutuum dare, nihil inde sperantes.* Usura tamen
 usuratum, seu, ut vocatur à Graecis apud Lessium loc. cit.
 Anacostimus, (id est, quando lucrum adjicitur sorti, vnde
 lucrum habitum ex usura pariat aliud lucrum) est
 etiam in iure Civili, l. Placuit, l. v. nullo, c. de usuris,
 prohibitus.

2. Verum, enim verè estne de fide, usuram esse illicitam?
 Rursus estne de fide, illam non solum jure positivo,
 sed etiam jure naturae illicitam esse?

Respondet: Omnes conveniunt, de fide credendum,
 usuram esse illicitam, idque propter loca evidentia, &
 mox afferenda cap. 3. §. 1, num. 2, in quibus id definitur, in
 praedictis sacris Textibus. Esse autem illicitam jure na-
 turae, tamen si B.ñez putet etiam de fide esse, Salas ta-
 men cum aliis negat; solum enim hi putant, eam, qui

contrarium nunc diceret, fore non quidem haereticum,
 sed temerarium, erroneum, periculosum; à quibus ta-
 men censuris voluissim, ut etiam hi abstinerent; cum
 Theologi valde laborent, (ut videre est apud De Lugo
 de iusta, d. 25, sect. 3, qui praedictos citat) in inveniendi
 ratione, quae id efficaciter probet.

3. Porro ex duobus principiis ratio ejusmodi natura-
 lis, qualiscunque ea sit, duci consuevit. Alterum est: In
 mutuo ex gratuita voluntate, & mera donatione mu-
 tuantis transferri dominium rei mutuae in dominium
 mutuatarii, qui tamen remaneat obligatus reddere tan-
 tundem suo tempore. Alterum: Non posse te accipere
 lucrum ex re alterius, nisi ex aliquo titulo illud tibi de-
 beatur. His positis, sic formatur ratio: In mortuo non
 invenitur titulus, unde lucrum supra sortem exigere pos-
 sis, ergo injustè illud exigeres. Antecedens probatur,
 quia ex priore principio in mutuo transfertur dominium
 rei mutuae in mutuatarium; ergo tota res, ejusque usus
 jam est mutuatarii, licet cum obligatione tantumdem
 reddendi; si ergo tota res, totusque ejus usus est mutua-
 tarii, quònam erit in mutuo caput, ex vi cujus lucrum
 accipere possis? Quare, si illud sumeres, ex re aliena con-
 tra secundum principium sumeres.

Sed haec, & responsiones ad illa fusius agitantur apud
 citatos. Nos, ad praxim semper collimantes, ejusmodi
 disputationes, non admodum ad eam rem necessarias,
 libenter praetermittamus.

4. Illud non omittendum: An semper prohibeatur
 usura sub mortali, an potius in ipsa detur parvitas mate-
 riae, & consequenter tunc committatur solum culpa ve-
 nialis? Constanter assero, ipsam ex genere suo esse sub
 mortali veritam, adesse nihilominus parvitem materiam,
 Ratio potissima, & convincens est, quia tota ejus malitia
 est contra justitiam: haec admittit parvitem materiam,
 ex omnibus, ut patet in furante obolum, v. g. vel in infe-
 rente damnum leve, ita De Lugo d. 25, de iust. n. 252.

5. Diana p. 5, r. 5, resol. 30, propter auctoritatem Al-
 phonso de Leone negantis, in usura dari parvitem ma-
 teriae, & ex eo argumento, quod, quidquid forti ac-
 cidit, usura est, Diana, inquam, hanc rem nobis cogitan-
 dam relinquit. Sed ne amplius (oro) quis cogitet, idque
 propter rationem à nobis modò allatam. Respondeat
 forte Alphonso in hunc modum: Quidquid adicitur
 forti, esse quidem usuram, sed exiguae materiae, atque
 adeo peccatum veniale, sicuti quodlibet furtum, etiam
 sacrilegium, rei Ecclesiae in modica materia furtum est,
 & sacrilegium, sed veniale.

CAPUT III.

Casus in Mutuo Usuram certò non continentes.

1. In tres classes distinguo casus ad hanc tractationem
 de usura, pertinentes, nimirum primò, in eos casus,
 qui certò usuram non continent. Secundò, in eos, qui
 certò continent. Tertiò, in eos, qui sub controversia. In-
 cipiamus à primis in hoc capite, tractaturi de aliis sepa-
 ratim in capitibus subsequenibus.

§. I. Lucrum ex Mutuo, ratione gratitudinis.

1. Nec peccat, nec obligationem contrahit resti-
 tuendi, si mutuet quis intendendo; imò, & ha-
 bendi aliquid ex mutuatarii benevolentia, gratitudine,
 liberalitate, amicitia; quamvis intentionem habeat non
 mutuandi, si re sperata careat. Ratio est, tum, quia id
 non est, exigere lucrum ex vi mutui, tanquam ex ju-
 stitia, in quo consistit essentia usurae, sed ex vi alterius
 tituli, quem verè adesse, supponimus; tum, quia, qui
 ejusmodi gratitudinem intendit, rem honestam, & re-
 ctæ rationi congruentem intendit. Nam propterea po-
 terit mutuatarium excitare, & rogare, ut se gratum
 ostendat;